

que in eo creber fuisti, ut haec inmodica . . . et ab impudentiae temeritate venientia.

'Rhodi enim', inquit, 'ego non fui' — me § 84. vult fuisse —.

5 Et verissime constat in prima adulescentia Rhodum navigasse M. Tullium, ut arte oratoria, in qua insigniter praestitit, erudiretur aput nobilissimum rhetora et magistrum illius aetatis, Apollonium [est], qui Molo cognominatus est.

10 In eo me reprehendisti, quod nimium multos defenderem; utinam et tu, qui potes, et ceteri, qui defugiunt, vellent me labore hoc levare.

Mira cum verecundia et moderatione et ceterorum ingenia depressit et suam in dicendo praestantiam omnibus anteposuit, quando graviores causas illi declinaverint
15 non sufficientes implendae defensionis, ipse vero confidentissime suscepit; quo agente reus innocens indubitata sibi spem victoriae polliceretur.

Admonefecisti etiam, quod in Creta fuisses, § 85. dictum aliquod in petitionem tuam dici potuisse.

20 Scolastica levitate quasi mimica spectantem huiusmodi iocos M. Tullium videbatur denotasse Laterensis, quod multa, quae facetius dici possent cum aliqua figurandi suptilitate, non praetermitteret. Itaque hoc eum dicto perstrinxerat habuisse materiam de vocabulo Cretae insulae
25 aliquid in se ioculariter dicendi nec tamen id excogitasse. Constabat enim Laterensem fuisse in Creta provincia, et solebant omnes candidati alba creta oblinire cervicem, ut populo notabiliores essent. Ergo . . . dixit eum iocari